

DS

IN NOMINE JESU  
**DE MINISTERIO**

*Ex Evangelio Dom. 3. Advent:*

PRAESIDE

**WILHELMO LYSERO D. & P. P.**

*Respondente*

**M. GOTTFRIDO OLEARIO Hall. Sax.**

*13. Augusti 1628.*

in Auditorio minori disputabitur

*WITTEBERGÆ,*

Typis JOHANNIS HAKEN.

JS

JS

ib . . . diss. A  
a . . . 6

192 (6)

DE MINISTRO

WILHELMO LYSERO D. P.



ΕΠΟΙΜΙΟΝ.

I.



Oronasse Deum annum bono suo regius  
Psaltes asserit Psal. 65, 12. Et cum illo experi-  
entia, dum conspiciamus quotannis non tantum  
pulcherrimè variegatam coronam, ex colore  
hyemis candido, veris viridi, æstatis flavo, au-  
tumni purpureo; sed et eandem omnibus bo-  
nis refertissimam: hic segetes copiosissimæ flavescunt, istic vinea  
purpureo resplendent colore; illic arbores varij generis fructibus  
onusta sunt.

II. Accommodant hoc ipsum Patres ad spiritualia, nonnul-  
li quidem ad tempora N. Testamenti ut Theodoretus in hunc  
Psalmum T. 1. p. 168. Annus bonitatis apud Esaiam vo-  
catur annus Domini acceptus; Spiritus enim, inquit, Do-  
mini super me &c. Annum igitur bonitatis tempus post  
Salvatoris nostri humanitatem nuncupat, tanquam  
quandam habertatem afferens, pietatem scilicet. Alij de  
futuro hoc dictum putant seculo. Sic Hilarius in h. Ps. p. 416.  
Annum æterni & beati illius seculi sine dubio declarat.  
Namque bonitatis Domini hic annus est, quo erunt in-  
defessa illa benignæ retributionis tempora auspicianda.  
Hujus igitur anni Dei benedicet coronam, jucundissi-  
mus & suavissimus visitatæ terræ inebriatæque fructus.  
Hæc enim Christi est depulsa corporum nostrorum cor-  
ruptione & peremta mortis potestate, victoria. Hæc  
corona sanctificatæ terræ nostræ flore benedicta est  
&c.

III. Nobis ad annum Ecclesiasticum hoc ipsum accommoda-  
re licebit, candidus in illo fulget color amoris non fucati, quem  
cælestis erga nos fovet pater, filium ipsum nobis donando ceu au-  
dimus

G 2

dimus in ferijs natalitjjs: purpureo rubet colore, quando uva in  
crucis stipite pendens Num 13. 24. torculari passionis subjecta fuit,  
atq; in eius sanguine vestes suas Siloh lauit Gen. 49. 11. sicq;  
porro idē per proprium sanguinem victor, rubefactus vestes de  
Bosra venit, Esa. 63. 1. Et de morte triumphans rediuitus cæle-  
stes gloriosas petit sedes, de quibus omnibus circa Paschalia in-  
formamur tempora: hinc in Pentecostali audimus festo, cælestem  
flammam Sp. S. advenire flavescere segetes, vel ut Christus lo-  
quitur, regiones albas ad messem esse Joh. 4. 35. Ita ergo flo-  
ribus pulcherrimis Et fructibus dulcissimis annus noster coro-  
natus est.

IV. Quid verò prodesset, vel in hortis poma dulcissima,  
vel in vineis vinum suavissimum, vel in agris triticum pingvis-  
simum crescere; si eadem in nostras apothecas deferre, in cellas re-  
condere, in horrea congregare, vel ista ad nostrum usum Et esum  
adhibere non daretur? ita quid prodesset natalitias ferias ad a-  
moris paterni altitudinem, paschales ad meriti Christi magni-  
tudinem, Pentecostales ad donorum Spiritus Sancti multitudi-  
nem contemplandam destinatas, si ad bona illa accedere eademq;  
nostra facere non daretur?

V. Ideo institutum ministerium ut ministri messorum Et  
segetem divinorum beneficiorum, nobis communicent, Et  
nos ipsos vicissim in horrea cælestia congregandos Matt.  
13. 10. præparent: per hos introducimur ad domum  
vini, ubi roboramur in malis seu pomis amoris divini; ubi fru-  
ctus dilecti nostri vera arboris vitæ Et vitis vera dulcis pa-  
lato nostro nobis exhibetur; ubi fulcimur in floribus dono-  
rum Spiritus Sancti, quando amore anima nostra ægra  
est Cant. 2. 3. 4. 5. Tantis verò bonis quia per ministerium nos  
dignatus Deus, dignum Et ipsum, quod à nobis debitum  
cum diligentia consideretur Et agno-  
scatur, Agamus ergò jam

De

## DE MINISTERIO.

643

Ministerii author & jam nostro benedicat ministerio.

Εξήγησις.

VI. Quam necessaria utilis & pretiosa lux sit, nemini qui in mundo vivit lucemq; vidit ignotum: Moses claris asserit verbis primo mundi die Deum lucem creasse & ut bonam approbasse Gen 1,3. tenebrae luci contraria id inexpertum docere possent & bonitatem lucis commendare: tam necessarium verò utile & pretiosum quoq; ministerium hoc in mundo est, quod ipsum Christus ostendit, dum lucem mundi ministros dicit Mat. 5, 13. Necessaria est lux, alias in tenebris pereundum nobis foret: nobis in tenebris & umbra mortis sedentibus Luc. 1, 79. in quibus aeternum pereundum foret, necessaria omnino lux ministerij. Utilis & commoda lux homini, qui in itinere alias à re c̄ta aberraret via: nobis in hoc mundo peregrinantibus & facile à cæli via aberraturis, per quã utilis & commoda lux ministerij. Pretiosa lux planèq; cælestis, ratione primæva originis atq; fontis, ita ministeriũ justitiæ abundat in gloria 2. Cor. 3. 9. speciosa proin Rom. 10, 15. Es. 52. 7. & pretiosa certe lux ministerij: contemplemur eam jam accuratius.

VII. Est verò Ministerium ordo divinitus vocatorum, cui concessa gratia per verbi Sacramentis obfignati prædicationem homines ad salutem adducere. Ordine id jam explicabimus.

### MINISTERIUM

VIII. Ministerium διακονία primo in genere quodvis servitium notat, quæ significatio hic aliena, ut & illa altera quando strictè ad œconomia curam refertur Act. 6, 1. Hic enim in specie verbi ministerium Act. 6. 4. intellectum volumus; mi-

G 3

nisterium

ministerium N. T. ex 2. Cor. 3. 6. vel Spiritus ibid. vel reconcilia-  
 tionis 2. Cor. 5. 18. vel etiam Evangelij ex Act. 20. 24. 2.  
 Tim. 4. 5. appellari possent, ad quam appellationem referenda E-  
 vangelizatio cujus in nostro Evangelio fit mentio, cumq; imme-  
 diate precedente illud versiculo, Christo κηρύσσειν tribuatur, atq;  
 predicare officium ministrorum præcipuum sit Mat. 16. 27. Mar.  
 16. 20. ministerium prædicationis Predigampt appellamq;  
 Sarcasum Jesuitarum cum nos predicantes Predigkautzen  
 vocant non curantes, siquidem ipse Christus κηρύσσειν prædi-  
 cans Luc. 4. 44. & Johannes Mat. 3. 1. & angelus Ap. 5. 2. &  
 Paulus Act. 20. 25. appellatur, qui idem κηρύξ Prædicator, 1.  
 Tim. 2. 7. 2. Tim. 1. 11. ut & Noachus 2. Pet. 2. 5. dicitur, Et  
 quid multis opus quod hic Evangelizare Christus ex Esa. 61. 1.  
 appellavit, id ibidem statim per ΝϞϞ prædicavit & Luc. 4.  
 19. per κηρύξαι explicatur: sic Rom. 10. 14. 15. κηρύσσειν & ευαγ-  
 γελιζόμεν & pro iisdem habentur.

## EST ORDO

IX. Est enim Ecclesia ut castrorum acies ordinata Cant. 6.  
 3. certi ergo in illa ordines atq; status in choro in foro & in  
 thoro, constituti. Et in choro quidem ordo docentium &  
 discipulorum ordine distinctus hic ostenditur, Johannes enim do-  
 ctor mittit δύο των μαθητων ad Christum & Christus pauperes  
 & contritos auditores ab Evangelizantibus distinguit, sicq; his  
 certum statum & ordinem attribuit, quibus angelorum & le-  
 gatorum appellatio ut Johanni convenit. Quem distin-  
 ctum ordinem contra fanaticos etiamnum ex Scriptura defendi-  
 mus, quæ non tantum continuationem ejusdem in V. & N. Testamen-  
 to per Patriarchas, Sacerdotes, Levitas, Prophetas, Apostolos,  
 Evangelistas & Presbyteros ostendit; sed etiam diserte docet ad  
 augmentationem sanctorum in ædificationem corporis  
 Christi

Christi datos esse à Christo post ejus adscensionem pasto-  
res & doctores in opus ministerij Eph. 4, 11. Huc refer quod  
Paulus ait de domo Stephana quod ἐταξῶν ordinaverunt se in  
ministerium, ad auditores verò ait ὑποτάσσιντο subiiciamini  
I. Cor. 16. 14, 15. ut ita ordo & distinctio hic satis clarè mon-  
stretur.

X. Consequenter etiam ordo inter ipsos ministros hic in-  
digitatur cum ἀραξία hic quoq; fugienda juxta generale moni-  
tum I. Cor. 14. ult. exemplo clarissimo in angelis cælestibus,  
quibus Ecclesiastici jure correspondent, fulgente; Sic extra con-  
troversiam Christum in nostro Evangelio fuisse ἀρχιεπισκοπῶν  
confer I. Pet. 5. 4, 2. 25. licet διάκονοι quoq; dicatur Rom. 15, 8.  
De Johanne ipse inquit, quod sit ἀριστότερος ἀεὶ φήτε. Et si verò  
de prioritate illud potestatis hoc donorum propriè agat: Priori-  
tas tamen ordinis inter ministros Ecclesie hodieq; quoad genus,  
non itè quoad modū, in jure divino fundata, meritò observatur.  
Concesso interim discrimine inter V. & N. T. m. quoad ordinem  
ministorum, ut ab isto quoad externam regiminis formam ad  
hoc non valeat consequentia; concessa itidem in N. T. Apostolis,  
inter se potestate equalibus Gal. 2. 9. 14. peculiari prerogati-  
va, que jam nec in Papa ut Pontificijs, nec in alijs, ut Saravia  
errat, reperitur: concessa deniq; distinctionem inter Presbyteros  
& Episcopos non eandem esse atq; in Apostolica Ecclesia fuit; ne-  
dum pot. statem jurisdictionis superiorem Episcopis jure divino  
assignandam, confer Act. 20. 17, 28. omnium minime verò Ponti-  
ficiorum inordinatos septem ordines approbare possumus.

### DIVINITUS VOCATORUM

XI. Johannem Baptistam ex Malach. 3, 1. Christus an-  
gelum appellat quod ipsum habetur quoq; Mar. 1, 2. Luc. 7. 27.  
Quod Angeli Elogium non soli Johanni tribuitur sed etiam  
alijs

alijs Ecclesie ministris tam in V. T. Esa. 33. 7. Mal. 2. 7. quam in N. Apoc. 1. 20, idque ratione officij, Angelus enim nomen officij non naturæ est juxta Ambros. sup. Heb. 1. caelestes namq; illi Spiritus ita dicuntur, quia sunt in ministerium missi Heb. 1. 14. ipse Dei filius quoq; angelus dicitur ratione officij, quod apud nos homines expediendum à patre missus suscepit Mal. 3. 2. Ita quoq; ratione officij ministri angeli dicuntur, clarè id contestante Malachia, quia angelus Domini est, labia sacerdotis custodire scientiam debent, unde & Paulus  $\omega\varsigma\ \alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\varsigma$  recipi vult Gal. 4. 14. pro Christo enim legatione fungimur (in ministerio reconciliationis) tanquam Deo exhortante per nos 2. Cor. 5. 20. & Paulus se legatione in catena fungi asserit Eph. 6. 20.

XII. Ministerium ergo legatio est, ministri legati; ut legatorum officia ita eorundem requisita ministris conveniunt, inter quæ primum & primarium ipsa munus delatio à principali facta; mutuus enim inter legatum & ablegantem respectus est quo sublato ipsa legatio corrui. Angelus Legatus est qui à superiore missus est, ipso Christo id dicente, qui ergo sponte currit non missus, Jer. 23. 21. legatus & angelus dici non meretur. Est filius Dei angelus in officio erga homines ut dictum, ut verò Aaron non sibi ipsi honorem sumsit sed vocatus fuit: ita Christus seipsum non glorificavit ut fieret Pontifex Heb. 5. 4. 5.

XIII. Principalis verò mittens Deus est, qui apud Prophetam dicit: Ego mitto; Is author & ministerij & vocationis est Heb. 4. 5. Et quod de Johanne apud Prophetam predictum, id adimpletum legimus Joh. 1. 6. fuit homo missus à Deo & Luc. 3. 2. factum est verbum Domini ad Johannem. Quod vero de Johanne, id ipsum & de alijs ministris verum: divinitus & illi vocantur & mittuntur; neq; hic mediata vocatio divine opponenda, cum & mediata & immediata divina sit, ut Dom V.  
Post



Post. Trinit. probabitur, ubi de vocatione expresso agitur. Id hic observemus Angelum fœderis venientem, ad viam sibi parandam angelum Johannem mittere, ut ita ministrorum missio & vocatio ad officium Salvatoris Propheticum pertineat Matt. 23. 34. Eph. 4. 11.

XIV. Deniq; angeli appellatio id quoq; nos hic monet, licet ipsis Angelicis humeris tremendum hoc munus sit, ut Bernhardus loquitur; Johanni tamen alijsq; hominibus demandari, angelorum proin & Spirituum apparitiones non expectandas; sed per homines oblatam Dei gratiam esse acceptandam Gal. 1. 8. vicissim homines ad officium hoc vocatos angelicam decere vitam, qua describitur & à ministris requiritur 1. T. 3. Tit. 1. Exemplum Johannis hic sibi prefixum ministri habeant, & ipsi exemplar gregis fiant 1. Pet. 5. 3. Quid verò a bis in specie requiratur ratione officij, infra recurret.

### CUI CONCESSA GRATIA

XV. Legato cui vis certa conceditur potestas, quid & quousq; nomine principalis agere debeat: idem etiam in Legato Ecclesiastico observandum. Et quidem Pontificij Politicam dominationem hic immiscent, dum Thomas Bozius cum Canonistis Hostiensem secutus, quem Parasitum Papalem ipsi Pontificij appellant (Vid. Barclajum de potestate Papæ cap. 1. omnem vimi regiam & dominiū datum esse Romano Pontificij jure divino asserit, statuens l. 5. c. ult. Christum dominiū temporale in terris habuisse: alij, inter quos & Bellarminus l. 5. de Rom. Pont. censent, Pontificem ratione potestatis spiritualis, habere saltem indirecte potestatem quandam eamque summam, disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum. Sed nec Johannes in carcere sibi tale quid arrogavit, nec ad Christum discipulos mittens, ob potestatem vel directam vel indirectam in temporalibus ejus auxilium contra Herodem imploravit: Christus quoq; officij Johannis dignitatem hic vindicavit, regiam vero super Herodem potestatem nulli sibi usurpavit; aliud longe fecit Luc. 12. 14. & docuit Joh. 18. 36.

H

XVI. Ma.

XVI. Manet quicquid inter Johannem & Christum ratione potestatis illius ministerialis, hujus magisterialis discrimen luculentum, unde mox Christus subjungit, minor in regno caelorum propter exinanitionem Pl. 3. 6. 22. 7. major est propter magisterium quod illi soli convenit: quod ipsum ipse Johannes quoque indicavit Joh. 1. 26. 27. 33. Nequaquam ergo potestas aut auctoritas qua Christo exclusivè assignatur Mat. 23. 8. 10. J. 3. 29. ministris reliquis omnibus ex opposito denegatur Joh. 13. 13. 14. 16. ulli est concedenda, sive in articulo fidei & Sacramentorum constitutione, sive in claviarum usurpatione, (ubi magnos Pontificij errores sovent) sed est & manet potestas ministerialis, vera quidem 2. Cor. 10. 8, 13. 10. sed tamen secundum verbi praescriptum exercenda, à quo si discedit vana & nulla est.

XVII. Huic tamen ipsorum ministerio divina conjuncta est gratia, ministerium enim Spiritus est & dicitur, 2. Cor. 3. 6. quod nomen sine Spiritus Sancti assistentia obtinere non posset: 1. Cor. 12. 4. & seqq. idem docetur & v. 11. subjungitur hæc (in ministracionibus v. 5.) operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Hæc est gratia quam datam sibi Paulus dicit Rom. 12. 3. secundum quam fundamentum ipsum Christum in animis auditorum posuit 1. Cor. 3. 10. quam à se in laboribus ministerij distinguit 1. Corinth. 15. 10. non seiungit, quod idem & Christus Mat. 10. 20. facit. Atque huc pertinent promissiones ministris & ministerio factæ. Ego ero cum ore tuo Ex. 4. 12. Posui verba mea in ore tuo. Es. 51. 19. Ecce dedi verba mea in ore tuo Jer. 1. 9. (confer Es. 6. 6.) 5. 14. Ezech. 3. 27. qui vos audit me audit Luc. 10. 16. unde & sermo ministrorum non est verbum hominum sed ἀληθῶς verbum Dei 1. Thes. 2. 13. non est tantum in sermone sed in Spiritu & virtute 1. Thes. 1. 5. ut cum ipsis sit Dominus σύνεργον cum ipsorum ministerio Mar. 16. 20. & ipsi sint Dei συνεργοί 1. Cor. 3. 9. in edificio salutis extruendo. Qualis respectus inter legantem & legatum in Politicis non occurrit, ut angeli hi Ecclesiastici in suo munere, ex gratia Dei aliquid plane singulare habeant.

PER-

644

## PER VERBI SACRAMENTIS OBSIGNATI PRÆDICATIONEM

XVII. Hoc ipsum officium ministerio proprium est, loquimur vero de ordine divinitus instituto, qui non tollitur planè quando extraordinariè & in casu necessitatis, quoad Sacramentum initiationis, ab illo aliquid excipitur. Ordinaria vero Dei voluntas est, ut per ministerium id fiat: quod qui spernit, *Ἐξλαβὲ τὸ θεῖον* adversus seipsum spernit, ut Luc. 7 30. de ministerio Johannis Baptiste nostræ historiae Christus ipse subjungit: placuit enim Deo per stultitiam prædicationis, 1. Cor. 1. 21. servare credentes: ad hunc ordinem nos alligavit, ipse interim minime alligatus.

XVIII. Monstratur hoc officium nobis, quando pauperes Evangelizari hic dicuntur: & si enim Christus Evangelij author & doctor primarius sit ratione foundationis & primæ revelationis Joh. 1. 16. ipse tamen quoque Apostolis & eorum in docendo successoribus mandatum Evangelij prædicandi dedit Mar. 16. 15. Quod nequaquam exclusivè intellectum volumus, quasi Sacramentorum administratio vel ad partes muneris Ecclesiastici non pertineat, contrarium ex Mar. 16. 15. & Luc. 22. 19. Act. 2. 14. 38. & 1. Cor. 11. 23. liquet; vel omitti possit: ( licet liberè certis demandari queat, ut alij ad graviores labores expeditiores sint, exemplo Pauli 1. Cor. 1. 14. 16. ) inclusivè ergo sub Evangelio, etiam Sacramenta Evangelij sigilla à nobis in descriptione officij hujus intelliguntur, ut Christus apud Lucam in descriptione officij Johannis, Baptismi expressam mentionem facit.

XIX. De Prædicatione vero verbi Christus ait Pauperes Evangelizantur, hoc ut fiat primo paupertas ex lege demonstranda, antequam Evangelij gratia infundatur. Atque ita Legis doctrina non plane omittenda, quæ si ab auditoribus non admittatur, Clave Ligante, opus est, quam minister adhibeat, ut scandalum aliorum præcaveatur; ipse vero ligatus ad agnitionem

tionem sui deducatur, exemplo Pauli. Cor. 5. 5. faciat tamen id quoad excommunicationem specialem majorem, processu eodem quem Paulus observavit: generaliter vero clave ligante uti potest, in legalibus concionibus, quando ad exemplum Johannis gehenne pœnam impijs minatur. Atq; huc respicit præparatio viæ Johanni demandata, quam per conciones pœnitentiæ effecit: præcedet enim ante illum cum Spiritu & virtute Helix, ut convertat corda patrum in filios & in obediētes ad prudentiam justorum, ut angelus Luc. 1. 17. explicat atq; ita prædicatione pœnitentiæ idonei reddimur ad suscipiendam doctrinam Evangelij.

XX. Per hanc doctrinam Evangelij ad Christum ipsum adducimur, quod Johannes in eo ostendit, dum discipulos ad Christum ablegavit; hac in parte monstrans necessitatem tradendi doctrinam Catechetica, & prima salutis fundamenta auditoribus suis instillandi, non tantum proponendo & explicando, sed etiam interrogando & respondendo: ut ita fundamentum fidei quod Christus est 1. Cor. 3. 11. ministri ceu sapientes architecti in vera ejus agnitione ponant. Nec laborem hunc quisquam defugiat, cum Johannem imo ipsum Christum, in illo hic occupatum videat, certe id rei necessitas, auditorum utilitas, officij demandati gravitas efflagitant.

XXI. Porro dum Christus ex verbis Scripturæ responsionem petit & sine citatione locorum digitorum tantum intendens ad Johannem discipulos remittit, occasionem Johanni præbet hæc ipsa latius ex ipsa Scriptura discipulis declarandi; qui solidioribus læti Catechetico subjungitur 1. Cor. 3. 2. ut sensu Scripturæ, qui unicuique & ejus anima est, fundamenti loco posito, ad varios usus ejusdem fiat accommodatio, monstrante Paulo. 2. Tim. 3. 16. atq; hæc quatenus cum verbo Dei congruit atq; ad illam ceu normam adaptata est, eatenus fidem apud auditores meretur; & tunc doctor quoq; N. T. est verus propheta, imo ceu Johannes plusquam Propheta, dum de Christo exhibitio concionatur.

ones suas habet, & illum in explicationibus Scripturæ, ut scopum prefixum unicum ostendit. Sunt enim prophete N. T. voluntatis divina de Christo interpretes, hinc prophetis ἑξηγητῶν Act. 13. 1. doctores junguntur: & prophetare est incredulos & idiotas convincere ac dijudicare & ita efficere, ut Deum agnoscant & adorent, 1. Cor. 14. 24. 25.

XXII. Talis prophetia & interpretatio debet esse secundum analogiam fidei Rom. 12. 6. ac si quis loquitur ut eloquia Dei i. Pet. 4. 11. unde facile dijudicari potest, quid de concionibus ex Aristotele, & Jure Canonico olim habitis, de quibus Lutherus T. 4. J. G. f. 248, sentiendum sit. Allegorias cum applicatione in Scripturis fundata, ipso Christo digitum hic intendente, & Patrum dicta ut Scripturæ explicationes, si convenienter adducantur, non simpliciter rejicimus, quia norma supradictam congrunt: si in inverso ordine Scriptura ad ista detorqueatur, probare plane non possumus. Denique cum textum Biblicum Johanni explicandum, non totum aliquem librum, sed pericopas ex diversis locis desumas, Salvator transmittat: Calvinianorum singularitatem, id in nostris Ecclesijs damnantium, merito repudiamus.

XXIII. Constantia porro in officio à ministro requiritur, quam Christus in exemplo Johannis, contrario arundinis simili demonstrat: Non ergo Eceboli in mutanda fidei confessione vanitas Eph. 4. 14: non desultoria quorundam in permutandis parochijs levitas, non in ordinata in peste vel persecutione fuga nobis probatur. At si persecutio ministrum tantum petat; si cum consensu Ecclesie, sine ejus dispendio aliqui periculum sive pestis sive persecutionis devitare possunt, magni usui de in Ecclesia futuri; si Dominus territorij aliquem fuget, non inconstantia & fuga mercenarij Joh. 10. 12. prohibita; sed fuga à Christo Mat. 10. 23. mandata est.

XXIV. Denique non tantum totius cætus sed & singulorum cura, ministro in officio ejus demandata, ad exemplum

Pauli Act. 20. 31. quam non tantum in informatione quoad fidem adhibere debet; quod in catechizandis duobus discipulis Johannem fecisse vidimus (ubi preces non intermittenda, per quas Christo auditores presentari possunt, inter quas solennis benedictio eminet) sed etiam in reformatione quoad vitam & mores, eam non debet negligere idq; absq; personarum respectu. Jer. 13. 18. quod Johannem fecisse non tantum carcer sed & Christi testimonium, eum à mollitie, Ezech. 13. 18. descripta, alienum fuisse asserentis, ostendit. Hanc ad rem confessio & absolutio privata facit, quam ex Ecclesiastica constitutione obutilitatem apud nos receptam, in gratiam Calvinianorum non eliminabimus; cum illa ad explorationem, hæc ad sanationem spiritualium morborum sit perquam accommodata. Videndum tamen ne quicquam ex privatis agatur affectibus, & vitandum ne in carnificinam Pontificiam degeneret; que exemplo Johannis Mat. 3. 6. probari nequit, cum publicam & generalem illam fuisse, circumstantiæ loci & multitudinis ostendant.

XXV. Deniq; licet ad essentiam officij Pastoralis vitæ honestatem non requiramus (nos à Donatistis hac in parte segregantes, qui ministerium malorum in efficax statuerunt A. C. Art. 8. cum hæc personam non officium directè respiciat) interim tamen ad bene esse & per indirectum eadem requiritur, cum exemplum ministri mali valdè sit nocivum. Legat ergo Pastor vestigia Johannis, quem à superbia & luxuria, vestibus pretiosis & delitijs ad domus regum relegatis, alienum fuisse Christus testatur Luc. 7. 25. secus licet falsus minister non sit, malus tamen erit, qui quod manu una extruit altera destruit juxta Nazianzenum.

## HOMINES ADSALUTEM ADDUCERE,

XXVI. Inter causam salutis principalem & instrumentalem, inter partes ministri & quod proprium Christi ac Spiritus Sancti, inter personam ministri & efficaciam ministerij ritè distinguimus, nec efficaciam ministerij ab hominibus ministris pende-

pendere putamus: ideo ut ostendamus ministerium efficax esse non virtute ministri, nec nos quod DEI est hominibus tribuere, producimus Johannis verba Ego baptizo aqua; externam proin vocem prabet, & manu sua aquam ad tingendos ministrat, atq; in dicat opus esse conversione: ut autem per externum illud ministerium animi convertantur, id non posset efficere ne tantillum quidem quantum est corrigiam solvere, sed hoc in solidum est opus Christi qui Sp. S. baptizat. Sic Paulus de persona sua virtute in ministerio loquens, se aliquid esse negat 1. Cor. 3. 6. 7.

XXVII. Ipsum vero ministerium est ministerium Spiritus 2. Cor. 3. 8, cui Spiritus Sanctus adest & per illud efficax est sicut Paulus inquit 2. Cor. 10. 4. Arma militiæ nostræ sunt δυναμίς τῷ Θεῷ. Ideo ne divellatur efficacia Christi ab externo ministerio, Scriptura aliquando conjunctim loquitur de ministris & de efficacia ministerij per Christum. Sic Johannis ministerio multi conversi ad pœnitentiam fuerunt Luc. 1. 16. 17. 19. illuminati ad fidẽ. Act. 19, 4, renovati ad bonos fructus Mat. 3. 7. Quæ nõ sunt virium humanarũ, sed Spiritus Sancti opera, quæ Christus ipse efficit in illis, qui preparata per Iohannem via, ad eum adducuntur: cæcis illuminatos oculos cordis dat Eph. 1. 18, dum oriens ex alto ijs qui in tenebris apparet Luc. 1. 79. claudorũ pedes in viam pacis diriguntur Luc. 1. 79. leprosi mūdantur per Baptismũ pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum Luc. 3. 3. surdorum cor aperitur Act. 16. & datur scientia salutis Luc. 1. 77. in mortis umbra sedentes, orientis visitatio ab interitu liberat: ita pauperes Evangelizantur, cum remissio peccatorũ per agnum Dei annunciat & regnum cælorum clave solvente aperitur. Matth. 16. Joh. 20. Et qui vili & abjecta hac facie non scandalizatur, consilium Dei adversus seipsum spernens, per Johannis quoq; ministerium salvatur. 1. Tim. 4. 16.

Πᾶσι.

XXIIX. Faciant dicta ad summam tuam consolationem cum fiducia de benignitate Dei validè organorũ contemplatione corroboretur: Si ad civitatem seditiosam & obsessam legatià rege reconciliationẽ, commeatum, auxilia afferent es

ventes mitterentur, quantum hinc apud obfessos oriturum foret gaudium? Ecce ad misellos nos vermiculos, qui iram regis caelorum promeriti sumus: us qui sibi ipsi in beatitudine sufficiens, mittit pacis caduceatores qui nos ad pacem invitent. O quam spetiosi pedes hi Evangelizantium Nah. 1. 15. O quam dulcis lingua in consolatione ad cor Jerusalem loquentium Es. 40. 2. O quam savis vox nihil condemnationis in nobis esse testantium! Rom. 8. 1. O quam grata manus commeatum caelestis Manne porrigentium, ad fontes vivos nos deducentium! O vero magnam regis caelorum benignissimi benignitatem! Magna benignitas, quod hominem primo Deus creavit et at quid lapsus id prodesset, nisi per verbi ministerium cor novum in nobis crearetur Psal. 51. 12. Magna benignitas quod nos ad hanc vitam facit nasci, at quid damnatus nobis antequam natus id prodesset, nisi per verbi ministerium daretur renasci Gal. 4. 19. 1 Pet. 1. 23. Magna benignitas amoris Dei, qui filio proprio non pepercit sed pro nobis tradidit illum Rom. 8. 32. at quid nobis natura filijs irae Eph. 2. 3. id prodesset, nisi traditione promerita bona, ministerij *συνεργεία* nobis applicarentur.

XXIX. Faciant porro ad seriam adhortationem, ut ministri Ecclesiae in tam sublimi quod ipsis demandatur officio sint seduli, sint solliciti; semper in auribus imo in corde eorum sonet Apostolica admonitio 2. Tim. 4. 5. Perpendant se esse ministros Dei 2. Cor. 6. 4. servos Jesu Christi Phil. 1. 1. ministros Spiritus 2. Cor. 3. 6. sese in tali officio versari, quod totam Trinitatem concernit, pater ipse praedicat in caelo Mat. 3. 17. filius in carne, Sp. S. in ipsis Mat. 10. 20. sciant totam adorandam Trinitatem diligenter ad ministerium ipsorum attendere: sciant eandem rationem muneris peracti aliquando exacturam severe. Oeconomus sunt, servi sunt, legati sunt: pro animabus ergo rationem superiori reddenturi sunt Hebr. 13. 17. sanguinem ipsorum negligentia pereuntium de manu eorum requireret Jehovah, Ez. 3. 20. Attendant ergo & sibi ipsis & toti gregi Act. 20. 28.

XXX. Faciant denique ad severam dehortationem a contemptu ministerij, Dei ministri sunt non tua mancipia. Legati Dei sunt, contemptus eorum in principalem redundat. 1. Thes. 4. 8. Legati jure gentium sunt inviolabiles: Corinthijs legatos Romanorum lotio perfuderant & civitas eorum eversa: Jerusalem lapidans legatos deserta relicta est. Mat. 23. 37. 38. cum praecone iustitiae apertus mundus ferre non posset, nec terra illum amplius sustinere poterat: cum Lothum Sodoma affligeret, ignis jam e nubibus eradicabat: cum Pharaon Mosi amplius audire nollet, aqvis aures ejus obturabantur; certe Deus etiamnum legatorum honorem vindicabit; si angelos bonos pacisque audire polueris, angelos vindictae immitteret: si servos ad nuptias invitantes rejeceris, tortores ad poenas trahentes non evitabis: si ad tubam ministerij Es. 58. 1. aures clauseris, tuba ultima te terret & tonitru condemnationis ad tartara precipitabit o, Deus hoc a nobis avertes

Coll. olim, H. 192, 6